



Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicij Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 2. Dux immitis, à milite citatus, ad diuinu[m] tribunal, dicto die, & hora,
moritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

dice Deo, cum iudicijs, iustitiisq; suis, iudicantur; atque extra ordinem plectuntur, qui alios, contra ordinem, tyrannica crudelitate, puniuerunt.

§. II.

Dux immitis, à milite citatus, ad diuinum tribunal, dicto die, & hora, moritur.

Huius rei, præter superiùs commemorata exempla, vtile erit & alia recensere. Atque ut, modò dicto militi reo, militem innocentem opponam, narrat Guilielmus Ferdinandus ab Effrem de Germano milite, iuuene, si ætatem spectes, si ingenium, faceto; eum, cùm, horâ constitutâ, ad excubias vocaretur; in militum corona stan tem, per iocum, dixisse: *Redeunt ad nos part. 3.
excabiae, utinam pecunia nuncius rediret!* Quàm multis iocari capitale fuit! Neque enim animus dicentis & auris audientis semper solent consentire. Adfuit ergo, inter commilitones, etiam tribunorum aliquis, qui exceptum hoc verbum, tanquam seditiosum, ad archistrategum retulit. Concilium illico vocatur. Trahitur in crimen vox ioco prolata. Censetur miles tumultum facere voluisse. Capitur. torquetur. *capitis* damnatur. Non illum excusatio,

Guilielmus
Ferdi. ab
Ephré. in
Manuali
Politico.
lib. 5.

134 Cap. VI. Metuendum esse ijs,

non innocentia iuuat... Ergo videns nihil prodesse, quidquid obtenderet, quidquid obtestaretur; ineuitabili iam morte, vociferari incipit, & magnis clamoribus Capi-
taneum citare, præsentique diem dicere.
Post tres hebdomades, inquit, *bac ipsa noctis hora*, redde Deo iusta rationem, de sanguine
meo. Sed quasi ventis locutus esset, ita ne-
glectus, hora noctis duodecima, strangula-
tus, orto die, ad terrorem reliquorum, cū
titulo seditiosi in præcordijs affixo, expo-
situs est. Ex ea hora Capitaneus consterna-
tus, semper in metu vixit. Elapo termino
hebdomadarum, ipsa rursus hora duodeci-
ma noctis, exiit domo, ad excubias visitan-
das, ac, ferè in puncto temporis eiusdem,
è ponte nauali lapsus, submersusq; docuit,
neque in bello quidem, vbi disciplina seue-
rior necessaria est, nimis præcipitandum.

§. III.

*Britannia Dux à fratre interfecto citatus, ad
Dei tribunal, se sistere cogitur.*

Eneas
Sylvius
Europeæ
histor.
¶. 43.

Quod militiæ Ducì accidit, idem etiam
alijs ducibus euenit. Britanniæ Armoriciæ
Franciscus Dux præfuit, qui reducens ex
Anglia fratrem Aegidium læsæ maiestatis
falsò accusatum, in carcere, barbara im-
mani-